

# ARCHIEPISCOPATUS MAGDEBURGENSIS,

Cum terris adjacentibus.



Magdeburgensis, inter decem Episcopatus, quos in Saxonia instituit Carolus Magnus, celeberrimus est. Primum Styda sedem habuit, in Comitatu Dominorum de Schwaleworch, qui nunc de Lippia appellantur, ac postea translatus est ad Waterlewe, ac tandem per Ottonem I Imperatorem, anno 1130 *Magdeburgum* ad Albim, flagitante id uxore Editha. Hæc enim locum istum, quod esset dotalitus, quodque ipsa amœnitate & commoditate ejus delectaretur, dilexit. Precibus ergo contendit ab Imperatore marito, ut sibi urbem illic condere liceret: neque id difficulter impetravit. Mulier ergo in agro dotali urbem conditura, unde potuit commodius nomen petere quam à sexus sui flore. Vocavit igitur *Magdeburgum* à virgine, plane ac si dicas *magdeburgum*, & signum urbi dedit, virginem in arce stantem cum serpo virginali. Urbem quoque ipsam impetratis ab Ottone privilegiis ornavit, effecitq; ut negotiatores in Albi flumine prærogativas multas haberent. Instituit quoque *Watersleve*, uti supra dictum, ubi eam pater ante collocarat, in novam hanc urbem, impetravitq; ei à Pontifice jus Archiepiscopatus, ut esset omnium Vandalicarum urbium Metropolitana, haberetque sibi subjectas Ecclesias Mersburgensem, Misnensem, Citzensem, Havelbergensem, & Brandenburgensem. Ipsa vero Imperatrix Editha post obitum (sic enim jusserat) sepulta est Magdeburgi, in cœnobio Benedictinorum, anno 1448. Cœperat quidem Carolus Magnus locum illum, quod commodus esset mansioni suæ, & figendæ sedi belli, ornare, itaque & B. Stephani templum illic condidit, quod postea uno cum oppido ab Hunnis vastatum est, & arcem fecit, quam Witikindo donavit: & Burggraviatum illic constituit, & Rulandi statuam ingentem erexit, quæ etiamnum in foro conspicitur. Cathedrale templum Mauritio dicatum votivum est. Episcopatus in Archiepiscopatum ab Ottone mutatus est. Anno 1566, cum supremum Collegium Magdeburgense, penes quod eligendi potestas est, abolita Pontificia, Augustanam amplecteretur religionem; nec jam Archiepiscopum Romano Pontifici addictum, sed suæ religionis Principes ex-

Collegium  
Magde-  
burgense.

Germania.

peteret; Administratorem primatus & Archiepiscopatus designarunt Ioachimum Fridericum, Ioannis Georgii Electoris Brandenburgici filium, eo tempore, unicum, præscriptis à Collegio supremo Ecclesiæ cathedralis Magdeburgensis conditionibus & articulis certis, ab ipso & patre Ioanne Georgio Electore Brandenburgensi approbatis & iurejurando electi Episcopi confirmatis. Quibus, se collegii supremi, & reliqui cleri, ac Provincialium, Regalia, privilegia, statuta, consuetudines, bona, possessiones, jura & libertates clementer ac fideliter tueri ac defendere, nec quidquam inde decerpere, alienare, vendere, permutare velle, sine peculiari supremi collegii consensu promittit. Inprimis vero, salinarum bona ad mensam Archiepiscopi destinata, nulli conferet, donabit, vendet, aliave ratione alienabit. Arces archidiocesis & prædiorum ædificia facta tecta servabit. Nihil sibi in Prælatos, Canonicos, & alios ecclesiasticos eorumque ministros juris sumet, nisi quantum antiquitus receptum est, ac si quid adversus illos actionis habebit, coram collegio supremo proponet & transiget. Canonicorum hæreditates ab intestato vel ex testamento relictas, nulla ratione vindicabit, sed collegio, veteri more disponendas relinquet. Nulli civitati vel privatis, nova privilegia inscio vel non assentiente collegio dabit. Beneficia ecclesiastica cum vacabunt, mense ordinario, collegia sicut antiquitus receptum est, suis electis conferent, & possessionem, Archiepiscopo non impediente, tradent. Qui omni diligentia curabit, ne beneficia extinguantur, profanentur, vel in alios usus insolentes convertantur. Prælaturas & dignitates vacantes ab Archiepiscopo conferri solitas, intra mensem, Canonico habili, & in legitima possessione majoris præbendæ existenti & capitulari deferret. Nullas exactiones novas, non præsciente & assentiente supremo templi collegio & archidiocesis ordinibus, instituet, ac imponet. Cum comitia ordinum provinciæ indicenda erunt, supremum collegium, de capitibus proponendis & tempore indictionis, ante deliberabit. Pecuniam ad dissolvenda archidiocesis debita, in proximo conventu Calbensis, ab ordinibus promissam, in nullos alios usus quam in conventu decretum est, converti mandabit. De cujus pecuniæ administratione, delecti ex ordinibus, in supremo collegio, adhibitis Archiepiscopi consiliariis, rationes reddent. Omnia vasa argentea, literas originales, & alia ad Archiepiscopi mensam pertinentia, juxta

B b

tenorem